

IV.

Ptolomeus II. von Tusculum verspricht dem Abt Seniorect, daß die Mönche von Montecassino in seinem Land und zur See unbehelligt bleiben, und bestätigt Montecassinos Besitzungen in seinem Gebiet.

Juni 1130

Überlieferung: Montecassino, Archiv, Registrum Petri Diaconi, fol. 252^v Nr. 604.

Vgl. o. S. 36.

Preceptum Ptolomei secundi Romanorum consulis de libertate navis. In nomine Domini. anno ab incarnatione eius millesimo centesimo XXX, mense Iunio, indictione octava. Ego Ptolomeus Dei gratia Romanorum consul filius quondam bone memorie Ptolomei pro redemptione atque mercede anime mee et predicti patris mei et aliorum parentum meorum atque ob reverentiam beatissimi confessoris Christi Benedicti spontanea atque gratuita mea voluntate concedo Casinensis monasterio quod in honorem eisdem sanctissimi patris constructum est, et tibi domno Seniorecto venerabili abbati eisdem loci tuisque successoribus, ut Casinensis fratres et res eorum et homines pro utilitate monasterii secure atque quiete eant atque redeant per terra mea et per mare in is locis in quibus dominium habemus et in portibus nostris ut secure ibi applicare possint, absque omni mea vel ministrorum meorum vel officialium et omnium aliorum nostrorum hominum molestia seu contradictione, ut neque occasione platee vel alia qualibet a me vel hominibus meis aliquam inquietudine vel impedimentum patiantur. Concedo etiam vobis ut monasteria que in terra nostra possident cum possessionibus et tenimentis eorum amodo quiete atque secure possideatis et teneatis et liberam habeatis facultatem ordinandi in eis prepositos et faciendi prout vobis placuerit sine omnia mea vel ministrorum meorum seu quorumlibet hominum contradictione vel molestatione. Nec liceat mihi vel heredibus meis han liberalitatem atque concessionem per quodlibet ingenium remove vel infringere, sed omni tempore quo prephato monasterio sancti Benedicti concessimus firmum et inconcussum illibatumque permaneat. Ego Ptolomeus qui scribere iussi confirmo et corroboro. Ego presbyter Rainaldus testes. Ego presbyter Gregorius testes. Signum manuum Gottifredi comitis¹⁾. Signum manuum Tophilatri, et Iohanni Amati, et Peregrini.

¹⁾ Graf Gottfried von Ceccano? Vgl. o. S. 72.